

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. III - N. 2

1971

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1971

EX ACTIS PAULI PP. VI

Constitutiones Apostolicae

- I. *Laudis canticum* 109
- II. *Divinae consortium naturae* 115

Allocutiones

- I. Lex moralis hodie summe necessaria 122
- II. Auctoritas est servitium caritate vivificatum 123
- III. De germana Populi Dei natura 127
- IV. De Ecclesia aedificanda deque periculis contra rectum iudicium aver- tendis 129
- V. Munus Hierarchiae 131
- VI. Caelibatus sacerdotalis 133
- VII. Ecclesia: quid est? 134

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

S. Congr. pro Doctrina Fidei

- Normae ad apparandas causas etc. 138
- Litterae circulares 144

S. Congr. pro Clericis

- De reformatione vestium choralium 147

S. Congr. pro Religiosis et Inst. saec.

- Normae pro paenitentia 149

S. Congr. pro Cultu divino

- Notificatio de Missali romano, Liturgia Horarum et Calendario 151

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

- Litterae circulares 154
- Normae pro tribunalibus 161

Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis

- Responsa ad proposita dubia 167

ACTA COMMISSIONIS

- Communicatio de schemate Legis Eccl. fundamen- talis 169
- Coetuum studiorum labores 186
- Opera consultorum 187
 - I. De clericis et S. Hierarchia 187
 - II. De sacramentis 197
 - De baptismo* 198
 - De confirmatione* 202

DOCUMENTA

- I. Conferentia de schemate Legis Eccl. fund. 206
- II. De quaesitis a diurnariis propositis 210
- III. « A Curial Constitution » 212

NOTITIAE 214

INDICES

Indices anni 1971

- I. Index locorum e Sacra Scriptura citatorum 217
- II. Index locorum ex Concilii Vaticani II textibus citatorum 219
- III. Index canonum C. I. C. citatorum 221
- IV. Index nominum personarum 225
- V. Index rerum generalis 227

III

OPERA CONSULTORUM
IN PARANDIS CANONUM SCHEMATIBUS

1

DE CLERICIS - DE SACRA HIERARCHIA

Coetus studiorum, qui prius vocatus est *de Clericis*, postea vero appellatus est *de Sacra Hierarchia*, constat multis consultoribus, canonicis et theologis, quorum non pauci sunt Episcopi. Huic coetui incumbit recognitionem apparare plurimorum Codicis I.C. canonum qui habentur in Parte prima, *De clericis*, Libri II Codicis.

In Codice I.C., haec Libri II Pars prima constat duabus sectionibus.

Sectio I, De clericis in genere, sex titulos complectitur, in quibus normae traduntur: 1. De clericorum adscriptione alicui dioecesi; 2. De iuribus et privilegiis clericorum; 3. De obligationibus clericorum; 4. De officiis ecclesiasticis; 5. De potestate ordinaria et delegata; 6. De reductione clericorum ad statum laicalem. Canones horum titulorum omnes sunt recognoscendi. Recognitio autem titulorum in quibus agitur de officiis ecclesiasticis et de potestate ordinaria et delegata, ab alio Coetu studiorum curatur. Hi enim tituli, in quibus non paucae aguntur quaestiones indolis specificae iuridicae, hodie certo considerari non possunt ut pertinentes ad Partem vel Sectionem, in qua agitur de clericis. Re quidem vera, secundum Decretum Concilii Vaticani II *Presbyterorum Ordinis* (20), officium ecclesiasticum « deinceps intellegi debet quodlibet munus stabiliter collatum in finem spirituales exercendum ». Quaedam igitur officia quae laicis committuntur, uti v.g. est institutio religiosa tradenda, dici debent officia ecclesiastica. Officia itaque ecclesiastica non reservantur clericis. Similiter clericis non reservatur hodie exercitium omnis potestatis regiminis seu iurisdictionis in Ecclesia. Admittitur enim hodie Episcoporum Conferentiam regionis instrui facultate permittendi, certis sub conditionibus, constitutionem, in primo gradu iudicii, collegii ex duobus clericis et uno laico constantis. Qui laicus, utpote membrum collegii iudicialis, certocertius potestatem regiminis iudicalem seu iurisdictionem exercet.

Quare tituli in quibus normae traduntur de officiis ecclesiasticis et de potestate ordinaria vel delegata, proprium locum non habent in Parte Codicis, quae de clericis tractat. Praeterea, indoles generalis materiae horum titulorum requirere videtur ut ponantur sub generali aliqua ru-

brica, scilicet sub rubrica de normis generalibus aut sub rubrica de personis in genere. Itaque cognitio canonum qui praescripta tradunt de officiis ecclesiasticis atque de exercitio potestatis regiminis ab alio apparatur coetu studiorum, scilicet a « Coetu studiorum de personis physicis et moralibus », cuius ceterum studio commissae sunt quaestiones indolem specificè iuridicam habentes. A consultorum vero coetu « de Sacra Hierarchia », parata iam sunt schemata ad recognitionem canonum Codicis I.C. de clericorum adscriptione alicui dioecesi (can. 111-117), de iuribus et privilegiis clericorum (can. 118-123), de obligationibus clericorum (can. 124-144) necnon de reductione clericorum ad statum laicalem (can. 211-214). Quae autem schemata, antequam Commissioni Em.morum Cardinalium submittentur, iterum recognosci debent.

*Sectio II, De clericis in specie, in Codice I.C. complectitur aliquos canones generales, in quibus de circumscriptionibus ecclesiasticis breviter agitur (can. 215-217), atque duos titulos qui hisce verbis inscribuntur: Tit. VII. De suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes; Tit. VIII. De potestate episcopali deque iis qui de eadem participant. - Magis vero doctrinae Concilii Vaticani II convenire dicendum est ut eorundem Tit. I inscribatur *De Ecclesia universa*, utque sub hoc titulo aut simili tradantur normae quibus determinantur partes quas in regimine Ecclesiae universae habent organa Hierarchiae aliaeve institutiones. Magis item conveniens visum est ut deinde, praemissis aliquibus canonibus *de circumscriptionibus ecclesiasticis*, Titulus II agat *de Ecclesiis particularibus* utque sub eodem determinantur partes quae diversis organis in earum regimine competunt. Parata iam sunt schemata canonum quae legislationem recognitam proponunt de circumscriptionibus ecclesiasticis, de Episcopis, videlicet imprimis de Episcopis in genere, deinde de Episcopis dioecesanis atque de Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus; item parata sunt schemata canonum de Curia dioecesana, de Consilio presbyterali, de Consilio pastoralis, de Capitulo canonicorum, atque de sede impedita aut vacante; tandem parantur schemata ad recognoscendos Codicis I.C. canones de paroeciis et de parochis, de vicariis foraneis, de vicariis parocchialibus et de ecclesiarum rectoribus.*

Non omnia igitur schemata quae materiam huic studiorum Coetui commissam respiciunt apparata iam sunt. Eorum autem quae confecta sunt brevis conspectus dari potest et dabitur, pro parte in hac relatione, pro aliis partibus in relationibus quae tradentur in futuris harum Ephe-meridum numeris. In hac relatione breviter exponentur schemata cano-

num in quibus agitur: 1. De clericorum adscriptione seu incardinatione; 2. De obligationibus et iuribus praerogativisque clericorum; 3. De amissione status clericalis.

I.

DE CLERICORUM ADSRIPTIONE SEU INCARDINATIONE

Sub hac rubrica omnes tractantur quaestiones quae ad clericorum adscriptionem vel incardinationem pertinent. In canonibus huius schematis tractantur: 1. Principium adscriptionis seu necessitas incardinationis, necnon communitates in quibus clerici adscribi valent; 2. Radix incardinationis seu modus quo fit incardinatio; 3. Mutatio formalis incardinationis; 4. Mutatio incardinationis ipso facto seu automatica; 5. Emigratio in aliam Ecclesiam particularem, sine incardinatione in eadem; 6. Causae ad licitam excardinationem requisitae; 7. Causae ad licitam incardinationem requisitae; 8. Competentia concedendi excardinationem, incardinationem atque licentiam transmigrandi.

1. *Necessitas adscriptionis clericorum.* Servatur in schemate principium in Codice I.C. enuntiatum, vi cuius adscriptio clericorum certae Ecclesiae particulari aut certae communitati requiritur et clerici s.d. acephali seu vagi minime admittuntur (can. 111, § 1). Ita institutum incardinationis firmum manet. Rationes vero quibus fieri potest incardinatio et excardinatio hodiernis necessitatibus pastoralibus aptantur, ut id requiritur a Concilio Vaticano II, quod in Decreto *Presbyterorum Ordinis*, n. 10 haec quae sequuntur declarat: « Normae praeterea de incardinatione et excardinatione ita recognoscantur ut, pervetere hoc instituto firmo manente, ipsum tamen hodiernis pastoralibus necessitatibus melius respondeat ». In hac recognitione attenduntur normae quae statuuntur servandae in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, d. 6 augusti 1966, et quidem in Parte I huius Motu Proprio, nn. 3 et 4.

His vero normis attentis, retineri non potest praescriptum Codicis I.C., vi cuius adscriptio clericorum tantummodo fieri potest alicui dioecesi aut alicui religioni. Ceterum, iam ante Concilium Vaticanum II certis societatibus clericorum concessa est facultas sibi incardinandi clericos. Inde latior proponitur norma, cuius ratione quilibet clericus adscriptus esse debet alicui Ecclesiae particulari aut Praelaturae personali aut alicui religioni, aut societati facultate incardinandi ab Apostolica Sede donatae. Uti patet, Ecclesia particularis est dioecesis, sed eidem

aequiparantur aliae communitates, quae iure determinantur. Eidem item assimilatur Praelatura personalis, de qua sermo fit in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, 4, atque, iuxta praescripta in eodem promulgata, proponitur norma quae sequitur: « Ecclesiae particulari, in canonibus qui sequuntur, equiparatur Praelatura personalis cui quidem competit sibi incardinare clericos qui mittantur ad servitium sacrum praestandum in aliqua Ecclesia particulari cleri inopia laborante aut destinentur ad opera pastoralia vel missionalia perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus, qui speciali indigent adiutorio ».

2. *Radix incardinationis seu adscriptionis.* Secundum Codicem I.C., per receptionem primae tonsurae clericus incardinatur dioecesi pro cuius servitio promotus fuit (can. 111, § 2). Haec vero norma non retinetur, cum praxis tonsurae hodie non habet momentum quod antea habuit et in desuetudinem abiit. Quaestio autem soluta non iam est qua ratione incardinatio clerici fiet: secundum alios requiritur ut instauretur caeremonia peculiaris incardinationis, secundum alios haec adscriptio seu incardinatio fieri potest per receptionem subdiaconatus. Supremae auctoritatis est de hac quaestione decisionem proferre. Sed certum est requiri aliquam caeremoniam, aliquem actum, vi cuius incardinatio clerici fit.

In coetu autem id iam admissum est quod etiam religiosus qui vota perpetua emisit et sodalis societatis qui promissiones perpetuas fecerit, adscribitur *tanquam clericus* religioni aut societati in qua promotus est. Itaque, religiosus per professionem religioni adscribitur, tanquam religiosus, non autem tanquam clericus; tanquam clericus eidem adscribitur tantum per caeremoniam peculiarem aut subdiaconatum, cui adscriptio clericorum adnectitur.

3. *Mutatio formalis incardinationis.* Explicita haec mutatio incardinationis in iure Codicis fit per obtentam ab Ordinario proprio excardinationem et per incardinationem in alia Ecclesia particulari ab Ordinario huius Ecclesiae particularis obtentam (can. 112). Servatur hoc praescriptum, in quo tamen non retinetur requiri litteras excardinationis aut incardinationis *perpetuae et absolutae*. Re quidem vera, facilius reddi debet mutatio adscriptionis Ecclesiae particulari, ubi bonum Ecclesiae id postulet.

4. *Mutatio incardinationis ipso facto.* In iure recognito inseritur norma quae habetur in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, 3, § 5, vi cuius « Clericus qui a propria dioecesi in aliam legitime transmigraverit, huic

diocesi transacto quinquennio, ipso iure incardinatur, si talem voluntatem in scriptis manifestaverit tum Ordinario dioecesis hospitis tum Ordinario proprio, nec horum alteruter ipsi contrariam scripto mentem intra quattuor menses significaverit ». Praeterea servatur ut causa mutationis adscriptionis ipso facto professio perpetua in religione, de qua in can. 115 Codicis I.C., et ei assimilatur promissio perpetua in societate facultate sibi clericos adscribendi gaudente. Supprimeretur vero causa de qua in can. 114 Codicis I.C.

5. *Emigratio in aliam Ecclesiam particularem, sine incardinatione.* Quae in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, 3, §§ 1 ad 4, habentur praescripta, mutato tamen eorum ordine, in Codice recognito inserenda proponuntur. Additur vero § 5, vi cuius clericus qui legitime in aliam Ecclesiam particularem transmigraverit, suae propriae Ecclesiae manens incardinatus, iusta de causa ad propriam Ecclesiam revocari potest, servatis quidem conventionibus initis, atque talis clericus, iisdem conditionibus servatis, ab Ordinario receptore ad propriam Ecclesiam particularem remitti potest.

6. *Causae ad licitam excardinationem requisitae.* Causae quae requiruntur ad licitam excardinationem in Codice I.C., can. 116 tantum requiruntur iustae causae. In canone recognitae magis determinantur.

Insuper in hoc canone praevидetur clericos habere recursum contra decisionem Episcopi excardinationem denegantis. Praescriptum vero Codicis I.C., can. 116, vi cuius excardinatio effectum non sortitur nisi adepta incardinatione in alia dioecesi, cum non respiciat causas ad excardinationem requisitas, transfertur ad can. 112, et fit § 2 huius canonis, in quo agitur de explicita excardinatione et incardinatione.

7. *Causae ad licitam incardinationem requisitae.* De hisce causis agitur in Codice I.C., in can. 117. Praescripta huius canonis quoad substantiam remanent, sed, iuxta supra indicata, accommodantur.

8. *Auctoritas competens ad concedendam excardinationem, incardinationem necnon licentiam transmigrandi.* Norma canonis 113 Codicis I.C. aptatur et extenditur ad licentiam transmigrandi in aliam Ecclesiam particularem, servata quidem incardinatione in propria Ecclesia particulari.

II.

DE OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS CLERICORUM

1. *Praenotanda generalia.* In Codice I.C. duo habentur tituli, scilicet Titulus II, de iuribus et privilegiis clericorum; et Titulus III, de obligationibus clericorum. In legislatione recognita proponitur unus titulus tantum, in quo praescripta traduntur quae insimul *obligationes et iura* clericorum enuntiant. De sententia consultorum coetus, sermo faciendus non est de clericorum privilegiis, immo haec privilegia abolenda sunt.

De privilegiis clericorum igitur quaestio non est in schemate proposito. Sane, cum servitium militare, immo et certa munera publica iure civitatis ordinata, minus statui clericali congruant, affirmari potest atque debet — ubi de clericorum obligationibus agitur, — eorundem obligatio utendi exemptionibus a servitio militari et a certis publicis muneribus quas societates aliquae civiles in clericorum favorem concedunt. Modus autem loquendi de privilegiis clericorum melius vitatur. In can. 119, Codicis I. C., sub titulo « de iuribus et privilegiis clericorum », norma statuitur, vi cuius fideles clericis debent reverentiam. Odiosum autem videtur de iure ad reverentiam sermonem facere, et ideo, si talis norma servanda sit, aptius ponitur in titulo, in quo definiuntur obligationes omnium christifidelium. Alia clericorum privilegia, de quibus in Codice I. C., non sunt servanda.

Certocertius affirmandae sunt obligationes quas habent clerici. Sed etiam iura eorundem determinantur oportet. Obligationes autem et iura, quae saepius cohaerent, sub uno eodemque titulo enuntiarı possunt. Ideo unus proponitur titulus, qui inscribitur: « de obligationibus et iuribus clericorum ».

Ad clericorum obligationes et iura quod attinet, aliqua Codicis I. C. praescripta servantur. Sed materia haec ex integro tractatur, inspectis praesertim doctrina et praescriptis quae habentur in Decreto Concilii Vaticani II *Presbyterorum Ordinis* atque etiam Motu Proprio *Ecclēsiae Sanctae*, 7 et 8.

2. *Obligationes clericorum.* De consultorum consensu unanimi, imprimis enuntiatur obligatio qua *peculiari ratione*, tenentur clerici, praesertim sacerdotes, ad perfectionem in vita sua ducenda acquirendam. Norma haec, quae in Codice I. C. habetur (can. 124), enuntiatur verbis congruentibus doctrinae quam proponit Concilium Vaticanum II, in Decreto *Presbyterorum Ordinis*, 12. Determinans media, quae ad

perfectionem acquirendam conferre possunt, schema, item secundum doctrinam in eodem Decreto traditam, indicat ministerii pastoralis officia conscie et fideliter adimplenda, duplicem mensam Sacrae Scripturae et Eucharistiae, necnon alia media sanctificationis communia et particularia, iuxta normas quae deinde sequuntur. Non omnia haec media iuridice imponuntur. Iuridice seu canonice obligantur clerici tantum ad horas canonicas cotidie recitandas secundum proprios et probatos liturgicos libros, atque ad vacandum recessibus spiritualibus, iuxta iuris particularis praescripta. Alia vero sanctificationis media, quorum quidem praecipua enumerantur, tantummodo commendantur.

Necessitas dein affirmatur, item iuxta doctrinam quae habetur in dicto Decreto *Presbyterorum Ordinis*, 19, qua tenentur clerici ut scientiis sacris incumbant utque etiam cognitionem profanarum scientiarum, earum praesertim quae cum sacris connectuntur, prosequantur.

Ad obligationem coelibatus quod attinet, norma in schemate proposita convenit cum doctrina et praescripto, quae in eodem Decreto *Presbyterorum ordinis*, 16, enuntiantur, et proponit ut haec obligatio, scilicet obligatio ad perfectam continentiam ideoque et ad coelibatum, pro clericis ad sacerdotium aspirantibus, initium sumat recepto diaconatus ordine. Expresse autem affirmatur hac obligatione non teneri viros maturioris aetatis in matrimonio viventes qui, iuxta decreta competentis Episcoporum Conferentiae a Summo Pontifice adprobata, ad diaconatum stabilem promoventur. Clerici itaque qui diaconatus ordinem non iam receperunt possunt nuptias inire, sed, nisi sint viri maturioris aetatis ad diaconatum stabilem destinati, nuptias contrahendo ipso iure a statu clericali decidunt, nisi quidem eorum matrimonium fuerit nullum vi et metu eisdem incusso.

Tandem, tamquam consecrarium obligationis praedictae, norma etiam generalis habetur, vi cuius clerici mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retinere aut frequentare non possunt; iuri autem particulari relinquitur ut normas magis determinatas de hac re statuatur.

De clericorum aliquo vitae consortio et vitae communis consuetudine norma etiam habetur. Commendantur tantum, et, uti iam in Codice I. C., can. 134, ita etiam in schemate statuitur vitae communis consuetudinem, ubi viget, quantum fieri possit, esse servandam.

In Codice I. C., can. 136 de habitu ecclesiastico normas habet. Non retinetur obligatio gerendae tonsurae, quae quidem plerumque per desuetudinem abrogata est et non convenit multarum regionum moribus. Nec servatur praescriptum de annulo non gestando, nisi id iure aut apostolico indulto concessum sit. Tantummodo generalis norma

proponitur, vi cuius clerici decentem habitum ecclesiasticum deferre debent, iuxta normas ab Episcoporum Conferentiis editas atque legittimas locorum consuetudines.

Nova proponitur deinde norma de obligatione qua tenentur clerici ut, spiritu paupertatis imbuti, vitae simplicitatem colant atque etiam rectum faciant usum bonorum: bona scilicet quae occasione exercitii officii ecclesiastici sibi comparant clerici, provisa sua ex eis honesta sustentatione et officiorum proprii status adimplerione, ad bonum Ecclesiae operaque caritatis destinent.

Retinetur norma Codicis I. C., vi cuius abstinere debent ab omnibus iis quae statum suum dedecent (can. 138); eorum autem determinatio relinquitur Conciliis particularibus Conferentiisque Episcoporum atque Ecclesiae particularis statutis. Similiter retinetur praescriptum Codicis, vi cuius clerici vitare debent quae, licet non indecora, a clericali tamen statu sunt aliena (can. 139, § 1). Quae vero in aliis §§ eiusdem canonis habentur praescripta non omnia retinentur. Quaedam quidem servantur sed hodiernis adiunctis aptantur, alia vero alia omituntur. Hisce praescriptis traditis, sequitur norma, cuius ratione clerici non possunt militiam capessere voluntarii nec certa suscipere munera publica, atque uti debent exemptionibus quas forte ipsis concedunt leges civiles propriae nationis. Uti supra iam dictum est, quaestio amplius non est de privilegio exemptionis canonico in favorem clericorum.

In Codice I. C. clericis prohibetur quominus intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant (can. 141, § 1). In legislatione vero recognita, de omnium consultorum consensu, affirmatur prius positiva clericorum obligatio fovendi concordiam inter homines, ut deinde praedicta canonis 141, § 1 prohibitio enuntietur. Additur alia norma, qua ipsis prohibetur quominus activam in factionibus politicis partem habeant, nisi, iudicio competentis auctoritatis ecclesiasticae, Ecclesiae utilitas aut bonum commune id requirant.

Retinetur praescriptum can. 142 Codicis I. C., de prohibita clericis negotiatione; exceptio tamen possibilis praevidetur, sed obtenta licentia competentis auctoritatis.

Item retinetur praescriptum can. 142, de obligatione clericorum residendi in dioecesi et ab eadem non discedendi per notabile tempus; quod vero tempus, in canone recognito, determinandum affirmatur iure particulari.

Servantur etiam praescripta canonis 127, de obligatione qua tenentur clerici ad reverentiam et oboedientiam auctoritati, necnon cano-

nis 128 de obligatione suscipiendi et implendi munus quod ipsis committitur.

Nova tandem aliqua praescripta in schemata proponuntur, quae innituntur doctrina quae traditur in Decreto *Presbyterorum Ordinis*. Haec praescripta respiciunt obligationem qua clerici tenentur agnoscendi et favendi propriam laicorum in Ecclesia missionem (Decr. *Presbyterorum Ordinis*, 9); obligationem etiam qua adstringuntur cum aliis clericis cooperandi (*Ibidem*, 8); sollicitudinem quam habere debent clerici, praesertim sacerdotes, vocationum sacerdotalium et religionum (*Ibidem*, 11).

De praecipuis ita clericorum obligationibus praescripta habentur generalia, quorum vero plurimorum determinatio committitur iuri particulari.

3. *Clericorum iura*. Generalia item proponuntur praescripta de iuribus in Ecclesia gaudent clerici et de habilitate qua pollent.

Imprimis de clericorum habilitate agitur ad obtinenda officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas iurisdictionis. In Codice I. C., canon 118 enuntiat normam absolutam, vi cuius « soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere ». De omnium consultorum sententia, sermo fieri non debet de beneficiis, de iure scilicet clericorum ad beneficia ecclesiastica obtinenda, quia beneficia tantummodo ut accessoria ad officia habenda sunt. Sed nec statui potest solos clericos esse habiles qui potestatem iurisdictionis obtineant. Hodie enim, uti supra dictum iam est, potestas aliqua iurisdictionalis conceditur laicis. Itaque in coetu studiorum admissa est propositio, sed uti propositio provisoria alicuius normae tantum, cuius ratione « soli clerici obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas iurisdictionis ecclesiasticae in ordine sacro innixa ». Verumtamen, haec norma est nimis indeterminata. Ut autem norma magis determinata proponi valeat, dirimere debet suprema Ecclesiae auctoritas quaestionem quousque potestas regiminis seu iurisdictionis committi possit christifidelibus laicis. Hac enim quaestione soluta, definiri potest quaenam potestas regiminis reservatur clericis, quaenamque officia ecclesiastica solis clericis committi possunt.

Iura aliqua clericis propria deinde affirmanda proponuntur, de quibus mentio non fit in Codice I. C. Haec iura sunt ea quae sequuntur: eorundem ius ad cooperandum cum proprio Episcopo in exercitio ministerii necnon ius ad obtinendum aliquod ministerium ecclesiasticum,

si quidem verificant conditiones iure requisitas; ius eorum ut sibi praebeatur tempus sufficiens ad utendum subsidiis spiritualibus et ad perficiendam formationem intellectualem; ius item clericorum sese cum aliis consociandi ad vitam spiritualem fovendam vel ad alios fines statui clericali congruentes persequendos; ius eorum ad debitum feriarum tempus, quod quidem iure particulari determinandum est; ius etiam eorundem ut honestam et congruam remunerationem percipiant atque ut provideatur suae congruenti praecaventiae et adsistentiae sanitariae et ut prospiciatur suae sustentationi, si infirmitate, invalidate aut senectute laborant; tandem ius quoque ad competentem auctoritatem ecclesiasticam recurrendi, ut iura statui clericali propria vindicare valeant. Sane, aliquae ex normis propositis, pressius determinari forsitan debent. Sed, uti iam dictum est, aliquis tantummodo conspectus proponitur praescriptorum quae proposita quidem sunt, sed iterum in coetu studiorum examini subiici debent. Inspectis insuper universis canonibus recognitis, apparere potest sub hoc titulo aliqua iura uti clericorum iura non esse affirmanda, illa scilicet quae potius dicenda sunt iura omnibus christifidelibus, non vero clericis qua talibus, competentia.

Iura clericorum quae sub hoc titulo recensentur, sunt iura quae ipsis clericis, ratione eorundem status clericalis, sunt propria. Clericis autem etiam per se competunt iura quae omnibus christifidelibus agnoscuntur, et de quibus sub alio titulo in Codice I. C. recognito agitur.

III.

DE AMISSIONE STATUS CLERICALIS

1. *Inscriptio huius tituli.* Non servatur inscriptio quae habetur in Codice I. C., videlicet « De reductione clericorum ad statum laicalem », quae quidem inscriptio aliquibus minus grata videri potest aut minorem involvens existimationem pro statu laicali. Omnibus itaque consultoribus consentientibus, proponitur inscriptio tituli: « De amissione status clericalis ».

2. *Praescripta canonum recognita.* Legislatio in quibusdam funditus recognita proponitur, in qua praescripta ordine logico enuntiantur.

Modi imprimis indicantur, quibus amittitur status clericalis; qui modi, tum quoad clericos in maioribus ordinibus constitutos tum quoad eos qui ordines maiores non iam receperunt, iidem sunt qui in can. 211, §§ 1 et 2 Codicis determinantur. Itaque clericus in maioribus

ordinibus constitutus statum clericalem amittere potest sive rescripto Apostolicae Sedis, ad instantiam ipsius clerici concesso, sive sententia iudiciali poenam degradationis irrogante, sive tandem sententia iudiciali aut decreto administrativo, ad instantiam clerici. In iure Codicis, sententia iudiciali ad statum laicalem redigi tantum potest clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit, si saltem postea ordinationem ratam non habuit (can. 214). In schemate norma proponitur, ut videtur magis aequa, cuius ratione per sententiam iudicalem aut decretum administrativum a statu clericali dimitti potest clericus qui, sive ratione metus gravis sibi incussi sive alia causa, debita libertate gavisus non est, itemque clericus qui probatur gravi laborare infirmitate, qua incapax redditur qui obligationem de qua in can. 132, obligationem scilicet ad continentiam suscipere aut servare non potest.

Effectus deinde determinantur amissionis status clericalis. Secundum ius Codicis, clericus in maioribus ordinibus constitutus qui rescripto Apostolicae Sedis aut poena degradationis amittit statum clericalem, eo ipso amittit officia ecclesiastica et iura clericis propria, atque exemptus est ab obligationibus eidem statui propriis, sed obligatione tenetur coelibatus (can. 213). In schemate proponitur regula generalis, vi cuius omnis qui statum clericalem ad normam iuris amittit, cum eo amittit iura statui clericali propria et officia quae eidem statui sunt reservata, sed *nullis* adstringitur obligationibus statui clericali propriis. Altera autem ex parte proponitur norma, vi cuius clericus in maioribus ordinibus constitutus qui dimissionem a statu clericali *petierit*, nullum interim officium ecclesiasticum implere nullumque ministerium exercere potest, atque obligationibus statui clericali propriis adstringitur, sola excepta obligatione horarum canonicarum.

De readmissione ad statum clericalem tandem agitur. Ut clericus qui statum clericalem amisit denuo inter clericos adscribi possit, proponitur ut servantur normae quae habentur in canone 212, §§ 1 et 2 Codicis I. C. (Willelmus Onclin, *Relator*).

